

mus ad originale peccatum, ut ex illo damnentur juste a Deo.

XI. Ad tertiam instantiam respondetur quod de facto in his, qui majorem obstinationem habent, ut habebant Judæi præ Tyriis est etiam de facto major ratio querelæ, et reprehensionis, quatenus magis resistunt gratiæ Dei. Retrocedendo autem ad illud tempus, in quo permissi sunt labi in primum peccatum, et isti in peccatum gravius lapsi sunt præ aliis, nulla majori indignitate præcedente, quin potius aliquando majori dignitate, sicut Lucifer cum esset in majori gratia, in deterius peccatum lapsus est, quam multi homines, qui cum minori gratia ex infirmitate primum peccatum inchoaverunt, respondetur quod licet in istis non præcesserit major obdurtio, et indignitas propter quam Deus permisit primum peccatum, et primam inconsiderationem, quæ est dispositio ad peccatum, et non continuavit donum gratiæ efficacis, adhuc tamen præter occulta, et inscrutabilia Dei judicia, propter quæ reliquit istum potius quam illum, est manifesta ratio querelæ, et reprehensionis ex parte Dei, quia dedit illis, et obtulit sufficiens auxilium, et aliquando majora dona in ratione sufficientis auxilii, quam aliis, et tamen posita permissione, et sustentia Dei voluerunt illa respicere, et contemnere voluntarie ex se ipsis deficiendo, et impediendo gratiam, ad quem defectum Deus non concurrat. Itaque ratio querelæ, et reprehensionis fundatur in sola receptione auxilii sufficientis, ratione cujus poterant implere mandata Dei, et noluerunt; quod vero Deus non dederit donum efficax quod non est ad posse, sed applicat ad velle de facto, non tollit quin Deus juste conqueratur, quia non negat Deus auxilium quo possint implere, sed solum applicatione, ut de facto im-

pleant, cujus negatio non tollit quin voluntarie deficient, Deo solum permittente, et sustinente. Ut autem eis culpa imputetur, sufficit Deum dare sufficiens principium, et auxilium quo potest evitari peccatum etiam si non det efficax, quo de facto evitent, culpa enim imputatur etiam si non assistant principia de facto evitantia, dummodo dentur principia potentia evitare, scilicet auxilium sufficiens. Ut autem Deus reprehendat, et queratur de homine, sufficit, quod in ipso sit culpa etiam si non antecedenter, sed tunc quando Deus denegat principia efficacia ad volendum de facto, et tribuit sufficientia ad posse. Et ita non conqueritur Deus tunc in permissione primi peccati, quod propter antecedentem indignitatem, et peccatum, illi denegat efficax auxilium, sed conqueritur, quia de facto peccat, et concomitanter, præbente ipso auxilium sufficiens, et solum negante efficax, quod est permittere Deum, et sustinere seu pati, et de hoc quod sequitur in homine ex patientia, seu permissione sua, conqueritur Deus.

XII. Et de tota hac doctrina videndus est s. doctor III contra gent. cap. CLIX et CLX. Nam in capite CLIX dicit: « Quid licet non sit in potestate hominis, promereri, vel advocare gratiam, est tamen in potestate ejus se impedire ne recipiat gratiam (impeditur vero, aut non considerando aut divertendo, aut etiam peccando) et cum hoc sit in potestate ejus, merito ei imputatur qui impedimentum ponit, sicut sole mundum illuminante in culpam imputatur non videri ei qui oculos claudit, licet videre non possit nisi lumine solis præveniatur. » Igitur etiam si gratia præveniens, et antecedens sit, tamen propter committentem culpam, quæ tamen in genere causæ materialis præcedit, et gratiæ præstat impedimentum, recte ei imputa-

tur, et Deus conqueritur. In capite autem CLXX, dicit D. Thomas: « Hæc intelligenda esse de eo, qui naturalem potentiam integram habuerit (quod utique est loqui respectu permissionis primi peccati.) Si vero per præcedentem deordinationem ad peccatum inclinaverit, non erit in potestate ejus sine speciali auxilio omnia peccata vitare, et impedimenta tollere, sed hoc ei imputatur ad culpam, quia hic defectus est ex culpa præcedente. » Itaque cum ad negandum primum auxilium efficax concurrat ex parte Dei, ut causa efficiens denegatio, quæ est permissio, et ex parte nostri impedimentum vel culpæ concomitantis, vel inconsiderationis, hoc præcedit in genere causæ dispositivæ, et materialis, denegatio autem Dei in genere efficientis.

XIII. Unde acute Cajetanus super caput IX, ad Romanos dixit, quod in illis verbis Apostoli: *Sustinuit in multa patientia vasa iræ*, pendet totius quæstionis solutio, et patefit ratio querelæ divinæ, quasi dicat Apostolus: Quod si est Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, non ex hoc debetis putare quod non potest conqueri de vobis, nam sustinuit in multa patientia, hoc est non fecit aliqua in vobis in quæ exerceret illam, sed solum sustinuit, permisit et reliquit dare efficacem gratiam cum tam multe sufficientem dedisset, et vos voluntarie peccastis sic ipso sustinente et permittente tantum, ergo recte queritur de vobis. Cur vero non dederit, sed noluerit gratiam efficacem præbere, ob hoc non possumus excusari, quia Deus non tenetur semper dare, licet nos teneamur semper non peccare ex auxilio sufficienti: multo minus possumus conqueri, et accusare Deum, qui habet potestatem facere quod voluerit ex hominibus (non dicit prævidere, non dicit

supponere prævisum ab eis factum, quo removeret querelam hominis, et adstrueret Dei, sed dicit potestatem habet facere) sicut figulus ex massa. Ergo et Deus facit quod vult, et permittit ut vult, et tamen adhuc queritur, et juste queritur, quia permittendo, et sustinendo tantum, nos peccamus, et voluntarie ipsum relinquimus, et sufficientia auxilia respuimus (nam efficax a nullo duro corde requiritur, utinquit Augustinus ubi supra) et respuentia illa materia querelæ est.

XIV. Instabis: Sine illo decreto Dei prædefiniente, et sine illo dono gratiæ ex natura sua efficaci, non possumus bene operari, et posita illa permissione non possumus non deficere in sensu composito. Ergo adhuc non videtur justificari querela Dei, pro illis, qui hoc donum antecedenter non receperunt, et ideo non fecerunt, præ illis qui de facto receperant, aut recepissent, et sic fecissent. Respondetur distinguendo, antecedens. Non possunt sine illo dono efficacis gratiæ prædonatæ operari potentia antecedente, nego; potentia consequente, transeat. Est potentia antecedens potentia secundum se, seu potentia instructa sufficienter ad operandum. Est potentia consequens, potentia conjuncta et applicata operationi. Ad fundandam autem justam querelam, sufficit Deum dedisse potentiam antecedentem, et auxilia sufficientia, non vero requiritur dedisse consequentem, si enim hanc daret semper homo de facto bene operetur, et sic nunquam esset de quo conquereretur, nunquam homo sibi relinqueretur, nunquam Deus permetteret, et sustineret aliquid in patientia sua, quod esset magnam partem providentiæ ejus destruere, quæ permissione, et patientia constat.

XV. Ad confirmationem responde-



tur optime dicere Augustinum quod est in aliquibus munus illud intelligentiæ, et non est in omnibus, quia dato quod sit in omnibus qui prædestinantur ad fidem, tamen hi non sunt omnes simpliciter, sed tantum aliqui, et consequenter non sunt omnes simpliciter, sed tantum illi, de quibus est tale decretum dandi illud munus. Et licet munus illud sit naturale, tamen etiam ex decreto haberi potest, quia naturalia munera etiam ex decreto Dei habentur, præsertim ut subordinentur fini supernaturali prædestinationis. Cæterum non videtur loqui Augustinus de munere intelligentiæ communi omnibus, qui vocantur ad fidem, cum multi trahantur etiam valde duri, et tardi, supplente gratia stuporem naturæ: sed loquitur de quadam docilitate, et comitate, quam aliqui felicioris ingenii habent, et facilius a gratia præparantur, utente ad suum finem illa ingenuitate naturæ. Sed tamen ex hoc munere aliquibus dato, et præviso, non sequitur consensus ad fidem nisi dono Dei applicentur ad fidem, quo possent etiam rudes applicari si Deus voluisset, et quantumvis excæcati essent converterentur de facto, ut ex ipso Augustinus, in eodem loco supra diximus.

XVI. Secundo, arguitur ex aliquibus auctoritatibus patrum, et D. Thomæ, ubi videntur tollere istud decretum sine quo nos illam præscientiam certam non admittimus. Nam in primis Damascenus in libro seu dialogo contra Manichæos non longe a fine sic inquit: « Deus ea quæ voluntarie a nobis futura sunt, hoc est ea quæ in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutem, ac vitium præsciens, ea demum præfinit quæ in arbitrio nostro minime consistunt. » Et libro secundo de fide, capite ultimo: « Illud quidem scire interest, Deum omnia quidem præsci-

re, sed non omnia præfinit, præscit enim ea quæ in nostra potestate, et arbitrio sita sunt, at non ea præfinit, neque enim vitium admitti vult, nec rursus virtuti vim affert. » Ac denique concludit eodem capite: « Quod divina jussio cum præscientia conjuncta præfinitionem efficit. » Ecce quomodo Damascenus respectu nostrorum actuum non admittit decretum præfinitionem, et tamen admittit præscientiam, datur ergo præscientia ante decretum præfinitivum. Quod si aliqua præfinitio datur, illa est divina jussio cum præscientia conjuncta, ergo supponitur aliqua præscientia ante prædefinitionem, si quidem accedente imperio Dei ad ipsam præscientiam fit prædefinitio. Nec potest dici quod Damascenus negat prædefinitionem quæ nostris actibus necessitatem imponat, non aliam. Contra enim est, tum quia hoc modo inepta esset causalis Damasceni, scilicet non prædefinit Deus actus nostros (scilicet prædefinitione necessitante) quia non infert vim virtuti, esset enim ac dicere, non necessitat prædefiniendo, quia non necessitat; tum quia hoc modo etiam præscientiam deberet negare, præsertim si fundatur in prædestinatione, non enim datur præscientia quæ necessitatem rebus imponat. Cum autem admittat ipse Damascenus prædefinitionem cum præscientia conjunctam, manifestum est quod existimavit omnem aliam prædefinitionem imponere necessitatem, et sic non ut imponat, debet supponere præscientiam non in prædefinitione fundatam.

Confirmatur primo, ex S. Chrysostomo homilia secunda in epistola ad Hebræos in parte morali, ubi inquit: « Oportet nos eligere primum quæ bona sunt, et tunc ipse quæ sua sunt introducit: non antecedit nostras voluntates, ne lædatur arbi-

trium, cum autem nos elegerim us tunc multam nobis affert auxiliationem. » Et homilia xvii in Joannem ad illa verba: *Conversus autem Jesus*, sic ait: « Hinc admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse, sed cum nos prompto pacatoque animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis affert salutis occasiones. » Ergo secundum Chrysostomum non est ponendum quod Deus ex decreto suo præveniat vestras voluntates, sed quod eas prævidens, et consensum præsupponens (quod sine scientia media esse non potest) tunc ipse decernit sua beneficia in nos.

XVII. Confirmatur secundo, ex Bernardo sermone liv in Cantica ubi dicit: « Quod Deus interdum subtrahit gratiam non pro superbia, quæ jam sit, sed quæ futura esset nisi gratia subtraheretur. » Ergo videt Deus, quod si daretur illa gratia sequeretur superbia, hoc autem non potest referri ad actuale decretum Dei, nec enim Deus vult, quod si daretur gratia, sequeretur superbia, ergo sine ista actuali voluntate, et decreto possunt cognosci aliqua futura conditionata. Item S. Augustinus libro de bono perseverantiæ, capite xi, inquit: « Quod Deus ex his, quos prævidit credituros, quibusdam non voluit subvenire per gratiam per quam crederent. » Ergo ante voluntatem subveniendi habet scientiam illius conditionalis futuri. Quem locum exponens S. Thomas, iii part. quæst. i, art. v ad ii dicit: « Quod non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui his quos prævidit si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibusdam subvenit, aliis autem non subvenit; » supponit ergo prævidere aliquos qui crederent, antequam

decretum habeat, quod credant. Quod et apertis verbis docet ibidem, articulo tertio ad quartum, dum inquit: « Quod prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum. » Ergo secundum D. Thomam datur in Deo scientia futurorum non fundata in prædestinatione et decreto, sed antecedens ipsum. Et secunda secundæ, quæstione clxxiv, articulo i et quæstione xii de veritate, articulo x, distinguit prophetiam prædestinationis, et præscientiæ, quia prædestinatio est de his quæ non sunt in nobis, præscientiæ autem prophetia est de his, quæ per operationem aliarum causarum explentur: ergo secundum D. Thomam aliqua prævidet Deus ante decretum suum prædestinativum, scilicet quæ fiunt per nostram voluntatem. Et D. Augustinus quando loquitur de his futuris, indicat decretum conditionatum etiam ex parte actus, ad illa requiri, non decretum actuale, ut cum dicit libro primo ad Simplicium, quæstione ii: « Quod si vellet Deus eorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset ut moverentur, » ubi ly si vellet, et ly posset conditionatum decretum, non actuale indicant.

XVIII. Respondetur sensum Damasceni esse illum qui in solutione argumenti ponitur, et expresse traditur a S. Thoma i part. quæst. xxiii, art. i ad primum, et iii contra gentil. capit. xcix, in fine, ubi Nysseum, et Damascenum explicat, quando dicunt quod non prædeterminat ea quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia. Quibus verbis tacite significat D. Thomas determinationem seu prædeterminationem non imponentem necessitatem non esse negandam. Et in hoc sequitur Damascenus usitatam phrasim Græcorum patrum, qui videntur quandoque



negare providentiam Dei circa nostros actus, scilicet providentiam necessitantem illos, et inducentem fatum, ut ponebatur a plerisque gentilibus, contra quos agunt. Et sic veniunt intelligendi Justinus martyr, quæst. viii ad orthodoxos; Arnobius in Psalm. L; Theodoretus libro v divinorum decretorum, cap. de providentia; Nyssenus in libro de homine citato a D. Thoma iii contra gentil. c. cxc; Anastasius Nyssenus, libro quæstionum in Scripturam, quæstione lxx, et alii Græci: imo ex Latinis loquuntur in eodem sensu Tertullianus libro de exhortatione ad castitatem, capite ii: « Excusabitur, inquit, omne delictum, si dixerimus nihil fieri a nobis sine Dei voluntate. » Et S. Hieronymus epist. cxxvi, hominem dicit esse ita liberum: « Ut vivat non ex imperio Dei, sed ex obsequio suo, » id est, non ex necessitate, sed ex voluntate. Et præterea explicat Damascenus, et cum eo D. Thomas quæstione xii de veritate, articulo x, id quod in prædefinitione Dei valde formale est, scilicet quod Deus prædefinit aliquid sub ea ratione quæ est a se, et derivatur a se, non prout a nobis, licet id quod est a nobis etiam prædefiniri possit, quatenus etiam est a Deo, quod D. Thomas vocat per accidens, id est, per aliud prædefiniri, in loco citato ad quartum. Et sic sensu formali loquendo negat ea quæ sunt in nobis a Deo prædefiniri, scilicet sub ea ratione quæ a nobis, sed bene ut sunt effectus Dei.

XIX. Ad primam replicam contra hanc solutionem quæ est P. Suarez, libro primo de auxiliis, capit. xiii, num. ix, respondetur quod illa probatio Damasceni non est nugatoria, nec idem per idem, sed valde efficax, quia procedit ex effectu nobis notiori, scilicet quia Deus vim non affert virtuti, ergo neque præ-

definit inducendo fatum, et necessitatem; nobis enim notior effectus est libertas in virtute, et negatio violentiæ in illa, quam in prædefinitione Dei, quæ est omnino occulta, et sic ex negatione violentiæ in virtute quasi ex effectu nobis notiori infert negationem necessitatis impositæ a decreto divino nobis occultiori.

XX. Ad secundam replicam, quæ est p. Vasquez i part. disput. cxcix, cap. vi, n. xxxviii, respondetur, quod etiam scientia si imponeret necessitatem neganda esset, sed quia non datur talis scientia, neque hoc erat dubitatum apud infideles, quod scientia fatum introduceret, sicut de providentia, et gubernatione seu prædefinitione Dei id dicebant, et quia potest dari aliqua prædeterminatio, quæ tollat libertatem, nimirum quæ tolleretur indifferentiam iudicii, ideo de prædefinitione imponente necessitatem, et inducente fatum locutus est Damascenus, eamque negavit, præscientiam autem Dei non negavit, sed absolute, et sine distinctione concessit. Quod vero Damascenus dicit visionem Dei cum præscientia conjunctam facere prædefinitionem, optime dictum est, sed loquitur Damascenus de prædefinitione respectu futuri absoluti, seu de illa, quæ est executiva, et ex imperio exequentem procedit, dicit enim quod jussio, et præscientia facit prædefinitionem, fatemur nos dari scientiam futuri conditionati, prior est enim quam prædestinatio executiva est faciens futurum absolutum, sed tamen illa scientia conditionatorum præsupponit decretum præcedens non absolutum ex parte objecti, et executivum, sed conditionatum ex parte objecti, licet actuale ex parte Dei, et hoc non negat Damascenus neque de eo agit.

XXI. Ad primam confirmationem

respondetur aliquos imponere Chrysostomo, quod senserit cum Massiliensibus, quod initium justificationis, et gratiæ esset ex nobis, fuit enim Chrysostomus magister Cassiani, et ita hoc ei imponit Vasquez i part. disp. cxxi, cap. ix, num. xliv. Sed vindicatur optime Chrysostomus ab Arrubal contra Vasquez i part. disp. lxxv, cap. iii, citatque plura loca Chrysostomus ubi Semipelagianorum doctrinam evertit, ut homilia xii in i ad Corinthios explicans illa verba Pauli: *Quid habes quod non accepisti*, ubi omnino videndus est, et homilia de Adam et Eva, tomo primo, et homilia prima super epistolam ad Ephesios non longe a principio, et homilia xxxviii, ad populum Antiochenum, quem locum citat Sixtus Sennensis libro v bibliothecæ, annotatione xvii, defendens Chrysostomum contra Oecolampadium, qui etiam nimius est contra Chrysostomum in hac parte, illi improperans quod plus æquo extollat vires liberi arbitrii. Sed in primis dici potest, ut Sixtus advertit, quod Chrysostomus loqui videtur de gratia habituali et sanctificante, ad cujus consecutionem requiritur motus liberi arbitrii, et nisi nos prius disposuerimus, Deus eam nobis non præbet, et hoc solum vult Chrysostomus, si enim gratiam contra nostram voluntatem introduceret, videretur nostrum lædere arbitrium. Cæterum quod iste nostri arbitrii motus et dispositio requirat gratiam actualem, et prævenientem, Chrysostomus ibi non negat, et aliis locis affirmat. Vel si loquitur de gratia etiam actuali, et non solum habituali, certe in illo loco ad Hebræos, solum tradit catholicam doctrinam de gratia, quod non lædat nostrum arbitrium: « Omnia, inquit, Dei sunt, non ita ut liberum arbitrium lædatur, » et postea subdit: « Non antecedit nostras volun-

tates ne lædatur arbitrium, » ideo non ita antecedit quod lædat, aut taliter quod arbitrium non operetur. Quod vero antecedit non lædando, ibi non negat. Unde infra subdit: « Sive concurreris, sive sateris, non putes tuum esse effectum, si enim desuper non adveniat adjumentum, omnia in vano erunt: verumtamen quidquid adeptus fueris eorum ad quæ festinas, manifestum est quia currendo, et volendo adipisceris. » Solum ergo vult Chrysostomus ne ita totum Deo detur, ut nihil operetur voluntas.

XXII. Specialiter autem ille locus ex homilia xvii in Joannem, videtur insigniter depravatus, et in contrario sensu scriptus ab ipsa mente, et calamo Chrysostomi, sed legi debere juxta editionem Venetam 1583, apud Franciscum Zilerum, tom. iii, ubi sic locus Chrysostomi legitur: « Conversus Jesus, et videns eos sequentes dicit eis: Quid quæritis? Hinc admoneri possumus Deum suis in nos beneficiis nostras prævenire voluntates nec a nobis incipiendum esse, sed cum nos prompto, paratoque per illum animo ad suscipiendum gratiam exhibemus, tunc multas nobis affert salutis occasiones, et confert. » Ita restitutus est locus. Et recte. Nam omnino inconsequens erat, ex illis verbis: Conversus Jesus, etc. inferre Deum nostras non prævenire voluntas suis beneficiis, cum potius oppositum sequatur, si enim conversus Dominus prior eos interrogavit, et affatus est, ergo prior prævenit, quomodo ergo potuit dicere Chrysostomum hinc, id est, ex isto loco nos admoneri nostras voluntates non præveniri Dei beneficiis, cum totum oppositum sequatur. Si vero alia lectio Chrysostomi sustineatur, tunc juxta priorem solutionem respondendum est quod loquitur de gratia sanctificante,